

dicavi. Qvâ verò ratione motus Autor disputationis versu 12. & 13. de penitus induratis, v. 2. de nondum penitus induratis agi statuat, neminem tām perspicacem fore puto, qvi indagare possit. Interim Apostolo Paulo credo, qvi versu 2do de Judæis obstinatissime induratis agi loco supra allegato docet, indeqve colligo, Dei manum etiam ad induratissimos expandi, neque dubito, qvin Deus etiam ad illos, de qvibus v. 12. & 13. agitur, manus suas expanderit, cum & illi ad populum istum rebellem pertineant, ad qvem Deus manus suas expandit. Eadem est ratio dictorum, qvæ *Autor disputationis* eodem loco ex Jeremias & Ezechiele adducit. Dicit enim, in Jeremias Cap. III. v. 12. compellari Israëlitas non penitus induratos, etsi in ea turba contumaces qvoqve & penitus indurati fuerint, qvod probat ex v. 20. cuius assertionis & probationis nulla planè dari potest ratio. Cur enim qvæso illa dominus Israël, dē qva v. 20. agitur, penitus indurata dicitur? Num fortè ideo, qvod cum muliere perfida comparetur? Atqvi Deus statim sub initium capit. III. etiam Israëli adulteræ, si redeat, gratiam promittit; & illa qvoqve domus Israël, qvæ v. 12. compellatur, adultera fuit, ut ex v. 13. patet, cui tamen Autor disputationis hanc gratiam facit, ut earn non penitus induratam fuisse dicat. Rectius ergo *D. Sebast. Schmidius* in comment. ad h. l. observat, v. 20. objectionem aliquam tacitè formari, cur Deus Israëlem adulteram recipere velit? ad qvam Deus in hoc versu responde-re incipit, utiqve perfidæ mulieris instar Israëlem egisse, sed tamen de ista perfidia dolere, qvæ pœnitentia v. 21. describitur, undē v. 22. nova promissio gratiæ seqvitur. Absurdissimum verò est dicere, qvod Isra-